

INCIPIUNT DECRETA PONTIANI PAPAE

PONTIANUS EPISCOPUS FELICI Sucriboni salutem.

1

Oppido cor nostrum caritati vestrae congaudet, quod studium sanctae religionis
summpere adimplere studetis et fratres merentes ac destitutos in fide et religione
confortatis. Unde redemptoris nostri misericordiam exoramus, ut sua vobis in
5 omnibus gratia suffragetur et effectu implere tribuat, quod velle concessit. In hoc
itaque bono tanto commoda retributionis accrescunt, quanto et studium laboris
augetur. Et quia in his omnibus divinae gratiae adiutorium opus est, omnipotentis
dei assiduis precibus clementiam exoramus, quatenus haec vobis semper
10 operanda bona et velle tribuat et posse concedat, atque in ea vos via cum fructu
boni operis, quam se pastor pastorum esse testatus est, dirigat, ut sine quo nihil
agi potest, per ipsum implere bona, quae coepistis, valeatis.

42v

De sacerdotibus autem domini, quos vos audivimus contra pravorum hominum
insidias adiuvere eorumque causas portare, scitote vos in eo valde deo placere,
15 qui sibi eos ad serviendum ascivit et familiares in tantum sibi esse voluit, ut etiam
aliorum hostias per eos acceptaret atque eorum peccata donaret sibi que reconcil-
iaret. Ipsi quoque proprio ore corpus domini conficiunt et populis tradunt. De illis
enim dictum est: Qui vos contristavit, me contristavit, et qui vobis facit iniuriam,
recipiet id, quod inique gessit. Et alibi: Qui vos audit, me audit, et, qui vos sper-
20 nit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Hi enim non sunt
infestandi, sed honorandi. In eis quoque dominus honoratur, cuius legatione fun-
guntur. Hi ergo, si forte ceciderint, a fidelibus sunt sublevandi et portandi.

3

Accusandi autem non sunt ab infamis aut sceleratis vel inimicis aut alterius
sectae vel religionis hominibus sed, si peccaverint, a reliquis arguantur sacer-
25 dotibus et a summis pontificibus constringantur et non a saecularibus aut malae
vitae hominibus arguantur vel arceantur.

4

Quod ergo de fratris vestri transitu vos tristari audivimus, non modico com-
pulsus sumus merore. Unde omnipotentem deum rogamus, ut suae vos gratiae aspi-
ratione consoletur, vosque et a malignis spiritibus et a perversis hominibus cae-
lesti protectione custodiat. Nam et si quos post illius obitum tumultus quorundam
30 adversantium sustinetis, nolite mirari, si vos frui bonis in terra vestra, id est in
terra viventium, quaeritis, mala hominum in terra aliena portatis. Peregrinatio
quippe est vita praesens et, qui suspirat ad patriam, ei tormentum est peregrinatio-
nis locus, etiam si blandus esse videatur. Vobis autem, qui patriam quaeritis inter
35 suspiria, quae habetis, etiam gemitus audio humanae oppressionis exurgere.
Quod mira omnipotentis dei dispositione agitur, ut dum veritas per amorem vo-
cat, mundus praesens a se ipso animum vestrum per tribulationes, quas ingerit,
reiciat. Tantoque facilius ab amore huius saeculi mens exeat, quanto et impellitur,
dum vocatur. Itaque, quod coepistis, hospitalitatis curam impendite, in oratione et
40 lacrimis instantissime laborate. Eleemosynis, quas semper amastis, iam nunc
largius atque uberius operam date, ut tanto post crescat vobis in retributione fruc-
tus muneris, quanto hic excreverit studium laboris.

5

1 INCIPIUNT] corrected from INCIPIT 2 FELICI] corrected from FELICIS 11 esse] corrected from
esset 13 De sacerdotibus] in margin: De non accusandis sacerdotibus (non added above line) 20 Hi]
corrected from Hic 27 tristari] vos follows, expunged 31 bonis] corrected from bona 33 qui]
corrected from quis 40 Eleemosynis] corrected from elemosynas

- 6 Praeterea salutantes paterna dulcedine bonitatem vestram petimus, ut in bonis, quae coepistis, ne deficiatis, neque ullus vos ab eis avertere possit, sed in cunctis affectum vestrae caritatis clerici et servi dei ac cuncti Christiani, qui illis in partibus commorantur, amore Christi et sancti Petri pleniter inveniant, et favoris vestri solatus, quocumque necesse fuerit, potiantur, quatenus vestra cuncti ope defensi atque adiuti et nos vobis gratiarum possimus existere debitores, et Christus dominus noster atque beatus Petrus apostolorum princeps, in quorum vos causis impenditis, Iesus Christus aeternam gloriam compenset et beatus apostolus Petrus ipsius gloriae ianuam aperiat. 45 50
- 7 Data X Kal. Febr. Severo et Quintiano vv. cc. cons.